

CLARISSIMO VIRO

DD. CAROLO LINNÆO,

DOCTORI MEDICO ET BOTANICO ILLUSTRISSIMO DOCTISSIMOQUE, ETC., ETC., ETC.,

S. P. D.

BERNARDUS DE JUSSIEU,

PROF. BOT. REG.

TUAS quas dedisti binas epistolas accepi, simulque Criticam Botanicam seu Fundamentorum Botanicorum partem quartam. Cætera quæ scribis misisse, Genera a te instituta et Floram Lapponicam non vidi huc usque. Ad meas licet non pervenerit manus Benevoli erga me animi testimonium hoc, grates tamen refero plurimas, et in justæ recordationis meæ signum, pauca hæc, opera levissimi momenti, quæ Parisiis prodire, de plantis recipere digneris. Non parcerem sumptibus si per te liceret comparare mihi quedam de re herbariâ prætervisa Opera, Siegesbeckii scilicet Hortum Petropolitanum, Ludvigii characteres genericos, Plantarum Indices circa Aboam aut Aboë, D. Tillands Floram Uplandicam, et Bromelii Chlorim Gothicam; hanc ultimam promiserat, dum Parisiis aderat, Lichenius vester. De fratre natu minori ad Peruvianas regiones botanices ergo misso, a Julio præteriti anni nuntium allatum nullum habuimus; si, ut spero, onustus herbis redierit aliquando incolumis, sicca harum specimina lubenter præbebo, sicque annitar consequi tuam benevolentiam et obtinere Lapponicas, Suecicas, Norvegicasve plantas quibus beare me volueris. Vale, dabam Parisiis die 9na 8bris 1737.

Salutat te plurimum frater meus.

VIRO ILLUSTRIS

DD. BERNH. JUSSIEU,

PROFESSORI REGIO PARISINO, BOTANICO CONSUMMATISSIMO,

S. P. D.

C: LINNÆUS.

LITERAS et libros quas, Vir Illustris, ad me misisti cum Entio ut et Delacroixii Systema morborum per D. Royenum rite accepi, pro omnibus devota mente grates reddo maximas, utinam locus umquam concederetur mihi ad mutua præstanda officia.

Tua, Vir illustris, fratrisque tui maximi facilitas, Tuus in externos favor, in plantas amor, in Botanophilos generositas non a paucis mihi demonstrata sunt et impressa adeo ut non possim non, quin Parisios adeam sub initio mensis Maji; Felix ego si Tuum